



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 17. Juramentum ante electionem a Cardinalibus præstitum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI. qui quamvis artis amicitiae vinculis Gal-
A. C. 1503. liarum Regi adstrictus, semperque huic
 nationi addictissimus crederetur; nihilo-
 minus in Pontificatus adeptione nemi-
 nem præferri sibi patiebatur. Consalvus
 quoque, magnus ille Bellidux, Regis
 sui commoda procurare sollicitus, arti-
 bus suis Conclavis libertatem turbare
 conabatur, dum adjuncta amicorum suo-
 rum auctoritate Bernardinum Carvaja-
 lum Cardinalem potenter fulciebat: In
 nullum tamen ex hisce tribus Competi-
 toribus eligentium suffragia conspirabant,
 ut mox perspiciemus.

§. XVII.

*Juramentum ante electionem a Car-
 dinalibus præstitum.*

Marian ib.
 n. 18.

Igitur cunctis Cardinalibus Conclave
 ingressis, præleguntur articuli olim
 ab Innocentio VIII. decreti, sancitur-
 que, ut quilibet eos describeret, ac
 octodecim eorum postera die, quæ ad-
 denda vel demenda censerent, sacro Col-
 legio referrent, quod & effectui datum:
 iidem quoque Cardinales communi om-
 nium suffragio ante electionem decerne-
 bant, ut is, quicumque Pontifex renun-
 ciaretur, jurata fide promitteret, se in-
 tra biennium Generalem Synodum con-
 vocaturum, eandemque singulis tribus
 annis

annis repetendam, lege in omne tem-
 pus lata; ut tandem restituta Ecclesie
 disciplina, ac sanctitate, superioris tem-
 poris licentia ubique latius serpens re-
 primeretur, ac Curie Romanæ abusus
 abolerentur. Una omnes, se hoc decre-
 tum, quod deinceps Ecclesiastici Cano-
 nis vigorem obtineret, integra fide ad-
 impleturos, juramenti religione sese ob-
 strinxerunt, demum vero ad electionem
 processerunt.

§. XVIII.

*Cardinalis Ascanius adversus Cardi-
 nalem de Ambasia.*

Equidem Cardinalis Ascanius Sfortia
 specietenus Cardinali de Ambasia fa-
 vebat, re tamen ipsa ejusdem consilia ever-
 tere conabatur, hinc cum Franciscum
 Piccolominæum Senensem Episcopum,
 Pii II. ex Sorore Nepotem eidem potis-
 simum adversari cognosceret, in hunc
 ipsum plurimorum suffragia inclinare fa-
 tagebat, cum aliunde Ascanius naturæ
 suæ genio Gallis minus propensus foret;
 mæsta enim carceris, cui inclusus fue-
 rat, imago identidem ob ejus oculos
 versabatur, nec ipsa quoque recuperata
 libertas, atque honores, qui illam co-
 mitabantur, perpeffæ calamitatis memo-
 riam oblitterare poterant; præterea ini-
 quo

Sæcul. XVI.
 A.C. 1503.